

COMPARATIONIS,

INTER

*IPHIGENIAM IN AULIDE,*  
*EURIPIDIS & RACINII,*

PARTEM POSTERIOREM,

ANNUENTE AMPLISS. PHILOSOPH. ORD. IN IMPER.  
LYCEO ABOËNSI,

DISQUISITIONI PUBLICÆ,

In Auditorio Medico die xxx Maji MDCCCXII

h. p. m. s.

*modeste subjiciunt*

*Mag. FREDR. WILH. PIPPING,*

*Litteraturæ Græcæ Docens atque Aman. Biblioth.  
Academ. Ordinarius,*

ET

RESPONDENS

*UDALRICUS OLLBERG,*

*Stip. Arckenh. Nyl.*

---

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.





mendos usus est, naturæ ipsius vestigiis felici æque ac intento studio inhærens, Græcæ tragœdiæ scriptor, histrionis arbitrio minus quam suo iudicio confidens. Negandum quidem non est, novam, quam nostris temporibus præbet scena faciem, rationes tam scribendi quam agendi, ab antiquorum valde diversas, & admittere & interdum suadere; sed alia tamen si verbis indicentur, quam quæ vultu & gestu exprimentur, vel hæc risum facile mœvent, vel illa minus intelliguntur. Sic illud *Agamemnonis ad Arcadem*

”*Tu vois mon trouble, apprens ce qui le cause;*”

”*Et juge, s’il est tems, ami, que je repose.*”

vix ac ne vix quidem veram animi commotionem regis exprimit, nisi summa accesserit histrionis ars, minorem tamen semper fidem in iis qui adsunt gignens, quam persona *Agamemnonis* Euripidea, in factis, intus qui hominem agitent motus, prodentibus, occupata, ut ex his servi verbis colligere licet:

Σὺ δὲ λαμπτήρος Φάος ἀμπετάσας,  
 Δελτὸν τε γράφεις  
 Τὴνδ', ἣν πρὸ χειρῶν ἔτι βασιάζεις,  
 Καὶ ταυτὰ πάλιν γράμματα συγχέεις,  
 Καὶ σφραγίζεις, λύεις τ' ὀπίσω,  
 Ρίπτεις τε πέδῳ πεύκην, θαλερὸν  
 Κατὰ δάκρυ χέων.

Argumentum etiam fabulæ in ipso limine proponentes, diversam iniisse viam, poëtas, expositio ostendit causæ, moesto *Agamemnonis* animo tristes tantum rerum omnium imagines præben-

bentis, cujus initia a RACINIO petita sunt e Græcorum longanimis in Aulidis recessibus mora, ad Scenam tertiam translata, *Ulyssis* ore efferenda, proluxa illa, unde EURIPIDES mali expositionem ordiatur, inquietis sensibus *Agamemnonis*, servum ad occursum reginæ, nulla interposita corporis curandi mora, volare jubentis, haud conveniente, de fœdere, Tyndaro cum prociis Helenæ icto, narratione. Nec injuria. Quem enim fugit, quam parum delectetur in longum productis sermonibus animus doloribus æger futurique trepidatione anxius; & qui igitur existimandum est, *Agamemnoni* placuisse, ab ovo quasi repetere Trojani belli originem? Hujus præterea ignarum servum, non tantum ætate jam provecum, sed etiam a Tyndaro ipso in dotem filia *Clytemnestra* traditum, fide illius in ædibus longa sine dubio proba um, credere haud licet. — Neque adeo inepte regi eidem Cephalleniorum, callido, fallaci duroque, in sequentibus etiam tradidit RACINIUS personam *Menelai*, ipsi, natura nec aspero, nec violento, & fraterno amore ad humaniores sensus provocato, nimis duram. Quis enim non videt, eo plures spectantium vel legentium calculos habiturum quemque dramaturgum, quo magis non tantum notis hominum, quos in scenam profert, moribus cogitandique rationi, sed etiam a natura ipsa nunquam non generandis, occasione data, sensibus, personam quamque accommodaverit? Simul vero dolendum est, hanc ipsam, per se justissimam, mutationem, multam abstulisse vim sermonibus *Agamemnonis* & *Ulyssis*, ab egregio illo fratre apud EURIPIDEM colloquio hoc magis aberrantibus, quo certius persuasum non potuit non esse RACINIO, quid locis & temporibus quibusvis homines diversos deceat perpendenti, non eadem verba ex ore cujusvis esse proferenda, quæ ex inis pectoribus fluunt fratrum; se invicem vel increpantium, vel obsecrantium, ipsa sanguinis conjunctione majorem in his aut acerbiter aut lenitatem, pro  
va-



Varia rerum, quæ in disceptationem veniunt, indole, efficiente. — Uterius dissimilitudines rationis, qua opus susceptum perfecerunt scriptores, in quibus comparandis jam versamur, quærenti observare licet, *Achillem* EURIPIDIS, in castris adesse nulla fide *Iphigeniæ* data cum *Agamemnone* junctum, nomen tantum, ipso infcio, ad dolum, quo filiam alliciat, tegendum adhibente. RACINIO autem, alia via actionem dramatis ad finem ducturo propositum, arridere non potuit viri, *Agamemnone* occulta in filiam perdendam moliente, præsentia; sperandum enim non erat, fore ut sponsam, suo nomine in insidias fraude conjectam, ad mortem duci pateretur elati animi magnitudine superbus *Achilles*. Ex ipsa igitur fabulæ nova forma necessitas orta est, *Pelei* regna invadentes fingendi hostes, quibus incredibili celeritate victis profligatisque insperatus ad societatem cæterorum, ruinam Trojæ minantium, revertitur heros. — Nullo autem necessario, sed omnibus novam rerum collocationem suadentibus argumentis destituito, consilio, viæ ignaram, in silvis, aditum ad castra claudentibus, errantem cum suis reginam *Areadi* non occurrisset statuens RACINIUS, *Menelai* cum servo de litteris altercationem e serie rerum exponendarum exclusit. Tam sedula apud EURIPIDEM in *Menelao* apparet cura, non tantum suæ, sed publicæ etiam, salutis, tamque clare elucet senis, summa cum fidelitate domino adhærentis ingenuoque viro digna loquentis, honestum quæ sibi injuncta sunt exsequendi studium, ut dubium non sit, quin contentio hæc, in Gallicam etiam scenam admissa, magnam in mentibus hominum conciliandis vim exercuisset, *Menelai* scilicet, qui apud RACINIUM agens nusquam occurrit, partibus his, ut cæteræ, in *Ulysem* devolutis. — Contra vero non possumus non felicibus auspiciis a proxime commemorato scriptore factam censere rerum, *Agamemnonem* ad desperandum de salute filix, nuntio de adventu ejusdem allato, cogentium dispositionem, palmam utique



que EURIPIDI præripientem. Hujus quidem ingenio perspicue fati obversata videtur *Agamemnonem* urgens necessitas, Diis hominibusque cedendo paternæ lenitatis affectus comprimendi; sed temporis ratione nulla habita, vim necessitatis hujus maxime efficacem ostendit eo momento, quo minus validam expectamus, vehementia ejusdem ab aliis causis agentibus disoluta, vel saltem imminuta. Hominem enim, summa indignationis acerbitate foedam immanitatem, cui filia iniquo fato succumbet, horrentem, & fratris, haud dicamus impetus injustos omni prudentiæ firmitate reprimentem, sed benevolentia etiam, gemitu & mœrore conciliata, jam gaudentem, victricia arma abjicere sivit, nullis novis obflaculis, quorum discrimina adire graviores quædam causæ vetent, admotis, sed contra, lucidi, e tenebris emicantis, sideris instar, spe ulterioris successus oblata. Quod quam intempestivum & a natura humana alienum sit, RACINIUS sine dubio perspicuens, & tristem fati imminentis, nulla prudentia evitandi, ideam, rationi viri, officii sui quid sit perpendentis, sponte occurrentem funestoque nuntio confirmatam, nullis fallacis spei delinimentis confundendam vel delendam, sed potius innitendo altius animo imprimendam esse intelligens, *Ulysem* exhibuit, non molli misericordia victum, sed constanti publicæ utilitatis promovendæ studio levem *Agamemnonis* animum exhortationibus admonitionibusque continuo invadentem, & sic ultimam quasi vim addentem advertis, quibus hic ab omni parte ingruentibus obrutus tandem exclamat:

*Seigneur, de mes efforts je connois l'impuissance:*

*Je cede, & laisse aux Dieux opprimer l'innocence.*

Act. I. Sc. V.



Ordo autem rerum, quæ actionem dramatum nostrorum efficiunt, ad *Clytemnestra* cum suis in *Aulidis* campos adventum nos jam ducit, quem, divina arte corda humana multens *EURIPIDES*, vivis admodum coloribus pinxit, haud ignorans, quantum in animis, bene a natura informatis, aut saltem haud omni dulcedinis, ex innocentiae probitate perspecta oriundæ, sensu privatis, exferere soleant vim, vel spectatæ, salutationes & confabulationes post longam absentiam sibi invicem occurrentium hominum, suavi cognitionis, amoris, pietatis & amicitiae continuatione conjunctorum. Magnopere miramur, locum hunc a *RACINIO* prætermisum esse, quippe qui reginæ adventum a servo nuntiatum tantum sinit, mirabunturque nobiscum quotquot admirati sint honestam affabilitatem, cum tenerrimo suorum amore & laudabili rerum suarum cura junctam, in matre, hospitas cantu eam excipientes salutante, iisdem dotalia munera, cautissimis manibus ferenda, tradente, & auxiliatricibus ulnis descensum de curru facilem, equis terrorem minime incutientes, ut parent, nonente, tandemque dormientem puerulum dulci alloquio, ut ad sororis cum præclaro viro nuptias expergifatur, delinente, non minus quam dulcissimam pietatem in filia, vix terram pedibus prius tangente, quam in complexus patris ruat. Qui sequuntur salutantium sermones, Actus II: Scenæ III:æ inulit etiam *RACINIUS*; sed, temporis quodam spatio post adventum præterlapsa, imprimis vero in illis, suavitatis *Euripideæ* quibus maximum inest, omisissis, frigidos eosdem factos esse, artem jam, non naturam, spirantes, quis est quin sentiat? Vellemus utique vehementer, totum dialogum, dissimili, qua ab utroque auctore compositus est, forma, describere, sed nostro minus quam hæc forte legentium desiderio parendum est, quibus supervacaneam in fontibus exhauriendis, quorum aditus cuique est proclivis, operam collocasse videremur, si dictionis differentiam, hoc loco conspicuam, di-



gito monstrasse, satis nobis non fuerit. — Ad *Agamemnonis* cum uxore, genus & fata *Achillis* scire optante, colloquium, nunc pergendum, quod a RACINIO etiam omisum est, sed iure quidem. Præterquam enim quod Racinianæ fabulæ non convenit, *Iphigeniæ* matris ignotum esse eum, cujus sponsa a longo jam tempore dicta est illa, inepto plane, ut nobis videtur, consilio, *Clytænnestræ* obrudit EURIPIDES ignorantiam rerum, quarum fama, omnium ore dicantata, vix ullum Græcorum latuit, multo minus reginæ aures fugere potuit, cujus marito suas copias suamque virtutem adiungens *Achilles*, suo imprimis nomine claram fecit Trojani belli ab omnibus celebratam expeditionem. Add., *Clytænnestram* ipsam, non subobscurè, sed aperte, in antecedentibus prædicare nobilitatem stirpis Nereidæ & præclaram nominis Achillei celebritatem, dum *Orestem* his verbis v. 625 alloquitur:

Ἄνδρὸς γὰρ ἀγαθῆ κῆδος, αὐτὸς ἐσθλὸς ὢν,  
 Δίψη, το Νηρῆδος παιδὸς ἰσάθειον γένος.

& iudicii nostri æquitatem in dubium, speramus, non vocabis. — Ulterius, quamvis rem utriusque poëtæ consilio propriam non tangant quæ observanda censemus, silentio prætereire non possumus tenebras, quas Actus III: i Scenæ I:æ & II:æ offudit, præclaram in EURIPIDIS scripto ubique elucens perfpicuitatem servare haud curans RACINUS, ad exitum adeo properans, ut *Clytænnestram* & *Iphigeniam* de inconcussa *Achillis* fide certiores factas, & hunc nova luce, obscuram sibi huc usque visam machinationem illustrante, perfusum, læta jam salutatione se invicem excipientes, in scenam proferat, nulla turbaturum, in fine præcedentis actus motarum, explicatione admisla. Verum quidem est, reginam marito suo referre ob-



secrationes *Achillis*, domum abire intendentes precibus refrenantis, summo non fucati amoris ardore nuptias appetentis, & justæ iræ vehementia contumeliosissimi rumoris auctorem querentis; sed si feminarum in benignitatem jam pridem propensas mentes facili negotio cepisse censendus est *Achilles*, Deos testes suave deliderium indicantium verborum adhibens, num ipsum tamen nuda specie objecta deterritum a veritate inquirenda credere fas est? *Agamemnonem* se convenisse his probat:

*Tout succede, Madame, à mon empresement.*

*Le Roi n'a point voulu d'autre éclaircissement,*

*Il en croit mes transports; et, sans presque m'entendre,*

*Il vient, en m'embrassant, de m'accepter pour gendre.*

sed alterum tantum, insidiarum, quas collocavit, tegendarum omnem libenter arripuisse hæc ostendunt ansam, dum alterius, injuriam sibi illatam querentis, indignationi qua ratione satisfactum sit, ne conjectura quidem divinare licet. Errorrem si agnoverit *Agamemnon*, quo quasi in inanem suspicionem deductum se coram conjuge a falsi crimine antea purgavit, causam saltem aliquam erroris illius, fallaci specie animum fascinantis, cordato viro attulisse eundem probabile est, quam itaque nobis reddere debuisset fidus sensuum herois sui interpres. Sed — — conniventem forsitan sibi finxit *Achillem* RACINUS, labulam spectatum admisos ad saltus in ea factos conniventes etiam sperans. — Idem, tenerrimis, in quibus exprimendis mirifice cuique placet EURIPIDES, animorum humanorum affectionibus, parum, ut videtur, delectatus, frigore languida & inani verborum saltu superbiens oratione argumenta, quibus *Iphigenia* patris, eam Diis offerre paratam, voluntatem

flectere conatur, exponens, Græcum protypum videre quibus non contigit suavissima privavit voluptate, qua mortalia non potest non perfundere pectora puella Græca supplex, parvuli fratris tacitam eloquentiam in auxilium vocans. Menus est totus hic EURIPIDIS locus venustissimæ gratiæ; sed gemmæ in corona suaviter pallentium margaritarum clarissimæ instar ibi elucet *Orestes*, pro mœsta sorore mœstus ad inhumani patris genua suspirans. Dignam quæ tabulæ commendetur scenam hanc non quidem plane præterit RACINIUS; sed *Iphigenia* e-  
jus venustate orbata est nativa, rationibus quibusdam exilibus ut sibi parcatur justum esse demonstrans, & *Orestes* omnino abest: desiderantur dulcissima hæc:

Ἀδελφεῖ, μικρὸς μὲν σὺ γ' ἐπίκερρος φίλοις,  
 Ὅμως δὲ σὺν δάκρυσιν ἰκέτις γίνου πατρός.  
 Τὴν σὴν ἀδελφὴν μὴ θανεῖν. Αἰδέμηιά τι  
 Κἀν νηπίοις γε τῶν κακῶν ἐγγίνεται.  
 Ἰδὲ σιωπῶν λίσσεται σ' ὄδ', ὦ πάτερ  
 Ἀλλ' αἰδεσαί με, καὶ πατόικτερον βίου.  
 Ναὶ πρὸς γενεῖς σ' ἀντόμεθα δύο φίλω,  
 Ὅ μὲν νεοσσός ἐσιν, ἡ δ' ἠνέξιμένη.

Desiderantur etiam in Raciniæ tragœdia *Clytemnestræ* & *Iphigeniæ*, spe omni *Agamemnonem* precibus movendi abjecta, tristem suam fortunam deplorantium, monstrophica lugubria, multis nominibus quæ pulcherrima saluentur digna, quamvis forsitan vitio haud injuria iisdem vertatur, quod longius ad varia Paridis, malorum causæ execrabilis, fata commemoranda aberrans *Iphigenia* luctus, quam in summum omnium discrimen adductam decet, pectoris mœstitiam minus in-

quie:



quietam, quam esse vulgo solet & hoc imprimis loco expectare fas est, prodatur. Magnam his omnis negligentiam, vel turpem omnino Græcarum Musarum, tragicam magnæ & simul tristici rei vim animis hominum, qua facillime patet aditus parte, imprimendum, non admirationem scilicet levem & ignavam tantum excitantium, sed faces omnibus fere sensibus admoventium, affectionibus in agente motis, quibus libenter indulgent spectatores, scens incidentem calamitatem suas domos, suas familias luæque pectora jam prementem sentientes, contemptum præ se tulit celeberrimus Gallorum tragedus; sed magis adhuc eo, quod egregiam, qua ultimum *Iphigenia* ad aram abituræ cum matre colloquium exponit EURIPIDES, orationem, & hymnum, inter eundem divina, immortalium spiritus quasi afflatæ, puellæ voce cantatum, imitando assequi vix conatus est, peccasse videtur. Eo auctore *Iphigenia* salutem quidem matri, una cum melioris in futurum fortunæ voto, dicit; sed hæc, nescimus quam ob causam, agendi partibus privata, & fervidæ, qua nuper exarsit, commotioni admodum dissimili patientia, tristici decreto non solum non renitente, verum plane etiam tacente, mutuum illud animorum commercium, quo in communem luctum effusæ, altera alterius cogitatis & verbis occurrit, matrem, ne se suosque inutili dolore cruciet patrique crudelitatem objiciat, monens filia, & huic qua ratione ultima amoris officia præstare possit mater quærens, hoc, inquam, commercium, EURIPIDIS scens summam amœnitatem concilians, e Gallica evanuit, carmenque illud, sublimem magni animi, humana omnia victa despicientis, imaginem, tristici ultimum vale dicentium spectaculo adjungens & sic spectantes in summam animorum commotionem volvens, plane deest. — Occurreret forte nobis, musicos modos una cum choro e tragedia recentiori jamdudum profligatos, omnem hujus hymni at supra memoratorum monestrophicorum in suam linguam trans-

transferendi occasionem poëtae abripuisse; sed temporis, forsitan, præjudiciis, si indulgendum erat, ita ut cantu audientium aures lacescere minime liceret, forma tamen mutata, materiem vel argumenta carminum, nostris etiam hominibus offerre, nec admodum difficile esse potuit negotium, nec sua ad pretium totius tragœdiæ augendum idonea vi caruisset. — Satis autem de his jam sit dictum,

Ad mores nunc respiciendum hominum, quos loquentes agentesque vatum uterque induxit, aut nomine eodem gaudentes, aut sentiendi agendique ratione adeo similes, ut qui secum invicem conferantur digni non possint non censerî. — Exordium capiamus ab *Iphigenia*, quæ in Græca saltem fabula primas tenens, legentium animos, ut, procul dubio, oculos eorum qui olim spectarunt, mirifica venustate ad se rapiens, longe cæteris excellit. Modesta innocentia insignem, omni, præter ardentem cognatorum amorem, cupiditate vacuum, jucunda quidem vitæ juvenilis voluptate perfusam, sed simul alta sapientem omniæque pro patria audentem, & sic animi non minus magnitudine admirandam, quam bonitate amabilem, hujus nomine stitit *EURIPIDES* mulierculam. In summam patris lætitiæ patris adpectu gaudens hæc erumpit, illum hinc, quæ sibi maxime placent, a culpa immuni conscientiæ anxius, rerum imaginibus, pascit, dulce esse dicens, superas auras captare, infantis, quæ infra sunt, petere. His vero lætis rerum formis adhærens, sensuum imperio haud servit libralis mens; regunt majora: unius salus malorum pernicie querenda non est; frustra cum immortalibus pugnatur: dulce est pro patria mori: gloriosum, eam e servitute eripere: vita, nuptus, libris dulcior fama æterna — Alia Gallicam illam *Iphigeniam* movent. Splendore imperii & gloriæ pulchrius nihil,



hil, potentia nil majus, exillimans, & patre honoribus cumlato felicissimam se prædicans, officii sui ducit, obedientiam reverentiamque viro prætare, ejus voluntati nulli sunt fines objecti. Vitam huic, qui dedit, reddere paratam luctus tantum matris, & quæ vitali suavior est aura, amantis recordatio, retinent; hujus vero aspectu cum amplius frui non liceat, vitæ nulla sunt gaudia. Moriendum potius est, quam sine *Achille* vivendum; dulcissima mors, quæ huic, patris furori erepto, viam victoriæ immortalisque gloriæ aperiat. Comuni honore post mortem juncti, a posteris, quid fideles valeant amores mirantibus, decantata nomina *Achillis* & *Iphigeniæ*: en summa huic præmia. Paucis ut rem expediamus, honesta quidem, sed ad voluptatem prona minimeque firma animi indole conspicua *Iphigenia* RACINI, rerum, sensibus tam jucundarum quam molestarum, jugo æque paret, nunquam liberationis sponte agentis vi gaudens. *Achillis* igitur amore ardens, patri tamen, dura quantumvis jubenti, simul obtemperat, & *Eriphilem*, fraudis suspectam horret, culpa liberatam benevolentia obruit, tandemque infelici fato succumbentem luget, semper vehementiæ affectuum, graviter animum commoventium, cedens.

Hanc excipiat *Agamemnon*, qui, ut fabulæ initium præbuit, ita plurimas etiam in eadem persequenda partes gerit. EURIPIDI, honoris, potentiæ favorisque popularis cupidus est, sed simul suorum paterno affectu amans. Imperium honoresque sectatur, studio tamen minus, quam consuetudine; quod iis accidere solet, qui excelso loco nati & rerum, specie anæna sensus delinquentium, sed vera animo gaudia nunquam offerentium, turbine acti, secum deliberandi quid faciendum, quid omittendum sit, locum vix habent. Ut autem natura, turpiter adempta sibi jura haud



haud leviter ferens, victas nunquam plane dat manus, sed, aut modum solitum excedente violentia, gravius afflicta, aut otio pusillo vires paullulum refectas erigens, eo severius contemptum sui interdum vindicat, quo longius ab ea aberratum fuerit; ita sibi relictus *Agamemnon*, funesta imperantium sorte perspecta, qui reges magis quam homines esse coguntur, magnas magnorum miserias deplorat & ex his emergere nititur. Sed frustra. Formam enim officii mox induit, cum studio quodam salutis publicæ promovendæ junctæ, regendi cupiditas, ita ut populo se debere putet, quod sine potentia suæ periculo reculare vel ommittere nequit, & sic in graviores semper errores incurrat. Hinc quæ in decretis & factis ejus cernitur inconstantia. Imperio mille navium, lætissima Græcorum corona ornatarum, nuper suscepto lætus, & moræ, victoriam expectatam retardantis, impatiens, haud invitus filiam Diis concedit; mox autem humanioribus tacite, (quia palam confiteri pudet,) indulgens sensibus, nil magis in votis habet, quam ut ejusdem vitam tueri possit, aperte tamen nihil suscipere audens, quia vulgi timet iram: tandem vero gloria & commotis patriæ vanum popularis auri desiderium, sibi etiam ipsi, tegens, sanctissima naturæ vincula rumpit, filiam dilectissimam sacro gladio offerens. — Haud multo languidior, sed minus adhuc spontanea in *Agamemnone* RACINII eminet gloriæ potentiaque aviditas, non omnem, e liberorum caritate ortam, externis voluntatem cogentibus causis resistendi audaciam, furoribus quamvis vulgi coercendis imparem, excludens. Aliis, *Ulyse* imprimis, insipientibus, pugnam honoris cum amore paterno adit, sed vanam gloriam haud querens, & utrique consulere studens certantium, filia cum matre e conspectu hominum, cæco impetu grata Diis facere cupientium, ut aufugere conetur, permittit. Quod vero varietatis mores utriusque maxime interest, e superbia & vindictæ cupidine hujus fuit. *Achillis*



*Achillis* namque arrogantem vitam audaciam intolerandamque contumaciam, id flagitantem, quod sponte solum tribuendum est, indulgendo ne foveat, sed repressam coercet, amoribus æterna impedimenta ingesturus, omni ejus colloquio societate, que *Iphigeniæ* interdicat. Vera hujus interdicti causa in alte nimis de se sentientis superbia latet, jura sibi negante nata, firmis adeo radicibus animo infixæ diuque nutritæ, ut omnes alias affectiones vel umbra sua tegat, vel extirpatas depellat. Hinc nata contemptæ potestatis vindicandæ cupiditas stimulus est, hominem alias segetem & suarum vix conscientium virium, ad vigorem & efficaciam irritans. In consiliis huc illuc vergentibus diu hærentem, pauca tantum *Achillis* verba, arbitrio duceis haud subjectam mentem spirantia, facile ad agendum movent; huic & simul *Ulyssi*, *Calchanti*, *Diis*, filiam eripere nil jam vetat.

*Achillem* autem maxime similem ab HOMERO laudati herois fecit EURIPIDES, impigrum, gravem & prudentem bellatorem, sed nescimus an iusto honestoque, in universum quod valeat, tantum, quantum vel sui juris sueque existimationis integritati, vel publicæ salutis, tribuentem. Semper præclara facinora appetens, *Agamemnonem* in Euripo cunctantem reprehendere vult, cum *Chrysemestram* invitus occurrit. Magno excelsi animi ardore, infelicium feminarum sorte audita, causam earum contra regem inhumanum agere aggreditur, sed misericordiane illarum, an injuriæ, sibi ipsi, nominis præclari iniecta fama per fraudem, non tantum læsa, sed inquinata, illatæ indignatione & dolore incensus, atrociam hæc non ferenda judicet, in dubium vocare licet. Videre nobis videmur hominem, molliorum humanitatis sensuum plerumque expertem, quem horrenda ipsius criminis facies non omnino commovisset,

E nisi

nisi nomen & gloria propria in discrimen vocata, faces ad iram facili admovisset pectori; dicit enim, prieter alia multa, ad iudicium nostrum probandum idoneam afferentia vim, maxime memorabilia hæc, vers. 935 lqq.

— — — — —  
 Κέποτε κόρη σὴ πρὸς πατρός σφαγίσηται,  
 Ἐμὴ Φατιθεῖσ'. Οὐ γὰρ εμπλέκειν πλοκάς  
 Ἐγὼ παρέξω σὴ πόσει τούμῳν δέμας.  
 Τοῦνομα γὰρ, εἰ καὶ μὴ σίδηρον ἤρατο,  
 Τούμῳν, Φονεῦσει παῖδα σὴν. Τὸ δ' αἰτίον,  
 Πάσις σὸς, ἀγνὸν δ' οὐκέτ' ἐσι σῶμ' ἐμὸν,  
 Εἰ δι' ἐμὴ ὀλεῖται διὰ τε τῶν ἐμούσων γάμων,  
 Ἡ δεινὰ τλάσα κ' ἐν ἀνεκτὰ παρθένος,  
 Θαυμάσα δ' ὡς ἀνάξι ἠτιμασμένη.  
 Ἐγὼ κακίστος ἦν ἀρ' Ἀργείων ἀνὴρ,  
 Ἐγὼ τὸ μηδὲν, Μενέλεως δ' ἐν ἀνδράσιν,  
 Ὡς ἐχ' Πηλέως, ἀλλ' ἀλάστορος γεγώς,  
 Ἐπερ Φονεῦει τούμῳν ὄνομα σὴ πόσει.

— — — — —  
 Ἄλλ' ὕβριν ἐς ἡμᾶς ὕβρισ' Ἀγακίμωνων ἀνάξ.  
 Χρῆν δ' αὐτὸν αἰτεῖν τούμῳν ὄνομ' ἐμοῦ πάρα,  
 Θήραμα παιδός. Ἡ Κλυταιμνήστρα δέ μοι  
 Μαλιστ' ἐπέειπε, θυγατέρ' ἐκδοῦναι πόσει.  
 Ἐδοκά τ' ἂν Ἑλλήσιν. εἰ πρὸς Ἴλιον  
 Ἐν τῶδ' ἔκαμνε νόστος. Οὐκ ἠρνήμεθ' ἂν



Τὸ κοινὸν αὖξεν, ὧν μέτ' ἐσρατευόμην.  
 Νῦν δ' ἔδεν ἔμῃ παρὰ γε τοῖς στρατιλάταις.

Nec igitur admirationem cuiquam excitet, quod, *Iphigenia* mente ad mortem sponte obeundam conversa, & facie totius rei gerendæ sic mutata, honestam magni facti speciem indutæ cædis perficiendæ cupido, recenti dolori, omnia pro nominis turpiter maculati laude facere jubenti, repente deinde succedat. Inviæ non amplius est mors, & summa hac pariuntur commoda. Hinc Græciæ, barbaros sub jugum mittenti, hinc *Achilli* lætissima affulget gloriæ imago. Prudentis autem temperantiæ, ad cæcum iracundiæ affectum minime effervescentis, signa simul, vel inopinata, sunt lenta illa moderatio, qua, quid sobria rationis, rem perspicue ante oculos *Agamemnonis*, cum supplicibus votis, positam, in omnes partes vertentis, valeat tranquillitas, videndum esse hortatur, priusquam ad vim & arma confugiat, & provida, qua existimationi, tam matris quam filiæ, consulere verecundiamque retinere studet, cura. — Fortis etiam acerque est *Achilles* ille, quem suæ fabulæ intulit *RACINUS*, sed temeraria audacia fervidus amoreque *Iphigenia* furens, a simplici gravitate illa Græca multum abhorret. *Ulyssis*, ne Veneris deliciis a gloriosis Martis laboribus se abduci patiatur veriti, increpationes, & *Agamemnonis*, spem omnem capiendæ Trojæ amisam lugentis, de victoriæ cupiditate temperanda monita, moleste ferens, neminem se priorem pede Trojanam pullaturum affirmat terram: ad iniquitatem immanem hujus reprimendam promptus, nullas principum inimicitias, nullas populi iras metuit; sed nihil magni, nihil forti viro digni, in hoc ardore elucet, cum maxima ejusdem vehementia, non recti, utilis & honesti tantum, quantum jucundi, studio excitata sit. *Iphigenia* enim summum ei est bonorum:



nulla injuria laesit, nullo religionis vinculo constrictus, nulloque officiorum commercio Atidibus junctus, belli locietatem cum his inuit, ut initium animi sui affectum *Iphigenia* probaret, quæ laborum periculorumque, in sponte suscepta dimicatione occurrentium, maximum unicuique præmium erit. Nihil pro *Menelao*, contumelia afflicto, nihil pro libertate Græcorum, ab incursionibus barbarorum vindicanda, nihil pro patriæ gloria, in æternum confirmanda, audet; sed amoris stimulis actus, stulto audaciæ impetu fertur, & præjudiciis hominum parcendum etiam interdum esse, cum cedentem temporis eo lætior sæpe maneat victoria, quo minus odii & sanguinis in ea reportanda profusum sit, nefcius, divina humanaque omnia, cælum, terram, mixta movere vult, ut promissis ab *Agamemnone* *Iphigenia*que datis laus stet bonos.

*Clytemnestram* quod attinet, utriusque poëtæ animo similibus fere morum illius idea insita fuisse videtur, cum parum in his describendis a se invicem disceserint. Apud utrumque enim cordata est & circa suas res attentata matrona, omnisque in liberorum salute hærens mater, sed, ni fallimur, marito haud fatis benigna & amica conjux. Modum autem & vim commotionum non usquequaque pari in utraque fabula pasu procedere, nec externam ingenii formam iisdem ubique signis expressam esse, haud injuria statuere nobis videtur. Sic *Clytemnestra* EURIPIDIS, domesticis familiaribusque, ut Græcam matremfamilias decuit, intenta curis, sedula magis est, & pectoris sensus aliis aperte communicare asueta, haud multum a loquacitate abest; RACINI vero illa, spiritus magis regio trahens, superbiam quandam prodit & majori fervore affectibus suis indulget, quamdiu graviora levem non deterreant animum impedimenta. Illam qui genuina sua indole conspicuam spe-  
tare



ctare velint, versus perlegant EURIPIDIS 607 fqq. & 1146 fqq.; hæc vero in Scena IV:a Act. III & IV:æ eos maxime prodit sensus, quibus propria quædam & ab illius diversa inesse videtur vis.

Magis autem moribus disident, agendi partibus iisdem pæne susceptis pares, *Menelaus* EURIPIDIS & *Ulysses* RACINII, ambo cogitatorum factorumque *Agamemnonis* impigri exploratores, sed natura mentibus inhærentem secuti diversum habitum, varia via ad actionem implicandam progredientes. *Menelaus*, nefandi sceleris in se suamque domum admisli odio, & contumeliam turpissimam sanguine abluendi desiderio, vexatus, suam injuriam omnium Græcorum putat, adeoque fratrem, levi inconstantia minusque honesto suo tantum commodo interveniendi studio, communem Græciæ causam deseruisse visum, graviter objurgat, veri, utilis & justii amorem aperte professus. Grave autem & severum quod in eo est ingenium, duram inhumanamque omnem acerbitatem repellit. Humani a se alienum nihil putans & intimæ, quam inter parentes liberosque mutua caritas firmat, conjunctionis quanta esse soleat vis, haud ignarus, lugubri *Agamemnonis* plangore ad tristitiam provocatus, funestum hujus & *Iphigeniæ* fatum dolet, misericordiæque cedens sponte non tantum iram remittit, sed plus quoque benevolentia præstat, quam fraterna mens vel postulat, vel accipere audet. Paucis ut dicamus, impiger est *Menelaus* veritatis & justitiæ propugnator, sed sensuum mitiorum simul haud impatiens, a fera immanitate tam alienus, quam a tenera nimis mollitie. — *Ulysses* contra, ad dolum callidus, inflexibilis, aliorum malis minime commotum pectus ferreum gestans, omnis in eo est, ut rationi, honesta vel utilitati communi inservientia jubenti, ubique parendum, omnibus, qui sua-

vera



vem tantum in singulis hominibus sensum excitantes, usum vitæ eorum jucundum efficiunt, motibus repressis, urgeat. Infirma mortalium quibus regantur artibus corda probe perspicuens, gemitus *Agamemnonis* misericordia probare simulat, sed pietatem Diis debitam, fervorem exercitus ad pugnam propere gestientis, pompanque victoriæ a barbaris reportandæ, duci, curis anxio & gloriæ cupiditate ægro, vivis depictam coloribus simul ostendens, animum hujus, sponte propendentem, facile, quo vult, inclinat.

Restat, ut servum, ab *EURIPIDE Senis* tantum nomine appellatum, cum *Arcade* *RACINII* conferamus. Ille senectute, vigilantia, sagacitate, fidelitate conspicuus, in venerationem sui nos rapit, tam auroram prævertens & sollerti anxietate mandata domini occulta exsequi studens, quam atrociam ejusdem ad filiam fraude capiendam rursus inita consilia, dominæ *Achilli*que, præsidium innocentis unicum futuro, aperiens. Insomni ætate actus, vel doloris sollicitudine concitato *Agamemnoni* ultro occurrit, cubili mediâ nocte relicto; ad longum iter faciendum, vix jussus, nulla mora se accingit; *Menelai*, litteras e manu rapientis, violentiam, honestissimo simulque prudentissimo ardore a se propellere nititur; tandem, *Iphigeniam*, non nuptiales faces, sed sacrum gladium, manere, tanto boni viri studio nuntiat, ut haud obscure appareat, eum erroribus domini cæca obtemperantia haud blandientem, illius familiæque venerandæ salutis magis quam suæ prospicere. — *Arcadem* vero, *Agamemnonis* Gallici famulum, vix alia, præ sensibus tactisque ministrorum quorumvis eminenti, distinguit virtus, quam quæ in miseratione immanisque cædis horrore posita, ad rem illis, quorum interest, referendam eum impellit. Ingenuo præterea  
 gene-



genere ortus, garrulitate majori delectatur, quam quæ in ser-  
vò Græco deprehenditur.

Cæteros, quorum interventu agitur tragœdia, homines,  
*Nuntium EURIPIDIS, & Eriphilem, Æginam, Doridem atque Eu-  
rybatem RACINII*, propius contemplari, hoc loco non juvat,  
cum, aut utrique fabulæ non communes, comparationi nostræ  
nullam addant vim, aut, simili quamvis persona convenientes,  
propria quædam sui ingenii signa, quibus fabulæ natura quo-  
dammodo regatur, non gerant.

